106.

Tres fontes quorum primus manat ex corde. secundus manat ex ore. tertius manat ex opere. Elemosina tripliciter erogatur, ex corde per compassionem, ex ore per orationem correptionem, ex opere per largicionem. De compassione dicit apostolus. Quis infirmatur et ego non infirmor. Quis scandalizatur et ego non uror. Peccata proximorum frigoria sunt iustorum. De correptione oris dominus ait. Si peccauit in te frater tuus corripe eum inter te et ipsum solum, si autem te audierit lucratus es fratrem tuum. De largicione dicit propheta. Frange esurienti panem tuum et cetera. Singuli vero fontes in duos riuulos diducuntur quorum primus decurrit ad nos, secundus ad proximos. Elemosina siquidem danda est ordinate primo nobis secundo proximis. Crudelis est enim qui aliis compatitur et sibi non miseretur, qui alium castigat et se non emendat, qui alii subuenit et se despicit. Ecclesiasticus. Miserere anime tue placens deo. Eice primum ypocrita trabem de oculo tuo et tunc videbis et cetera. Cum videris nudum operi eum et carnem tuam ne despexeris. Si sic dederimus elemosinam tunc sane mundabimur quia dominus ait. Date elemosinam et omnia munda sunt. Elemosina quidem maximam fiduciam prestat apud altissimum. Cum ergo ieiunamus ungamus caput nostrum oleo deuote orationis. et lauemus faciem nostram aqua pie miserationis, illo nisi condito gerente cuius verba sunt optimis unguentis fragrancia, qui est fons aque viue salientis in vitam eternam dominus ihesus christus.

Verbum caro factum est et habitauit in nobis.

Iuxta quem usum loquendi tribus modis accipitur verbum. Est enim verbum quod corde concipitur et est verbum quod in ore profertur sonus et verbum quod calamo scribitur. Corde concipitur intellectus, ore profertur sonus, calamo scribitur signum, intellectus in mente, sonus in aere, signum in imagine. Quia spiritus est qui viuificat, caro enim non prodest quicquam, de carnalibus ad spiritualia transeamus. Est enim verbum humanum et est verbum diuinum. Verbum humanum transit prolatum, verbum diuinum permanens natum. De verbo dicit poeta. Euolat emissum semel irreuocabile verbum. De isto